



D. A.
LEGES
GYMNASII
ERFFURTENSIS
EVANGELICI.

Publica Senatus ibidem au-
toritate VII. Novembris Anno
M. DC. XVI. promulgata, eademq;
jam denuò recognita
& aucta.
Cum typo lectionum.




16 43.
Prelo SPANGENBERGIANO.



Titulus I.

De Officio Professorum generatim.

I.



Rector, ejusq; Collegæ omnes, Augustanam confessionem invariata[m] piâ dexteritate profitentor, sectæ nulli adhærento, atq; ne contrario errore, aut fanaticorum commentis, discipulorum animi inficiantur, summopere cavento.

2. Et quantò magis Deus opt. Max. per ferrea & insolentia hæc tempora, vitæ à mortalibus emendationem deposcit: tantò magis fidei ac curæ suæ concredito cœtui, ad illam monendo, præcipiendo, auctores sunt.

3. E compendio Theologico hæctenus recepto Christianæ fidei capita fideliter docento, utq; auditores in omnibus vitæ actionibus se pios ostendant, ipsimet exemplo sunt.

4. Insuper & medullam Formularû, quæ de præcipuis aliquot capitibus Religionis Christianæ, Ecclesiæ hujus loci Evangelicæ, ex præscripto publico, in præsentiarum traduntur, instillant: Piamq; ac genuinam ostendere praxin contendunt.

5. Blasphemias, diras, execrationes, maledicta,

LL. GYMNASII

omnemq; divini nominis abusum, à Gymnasio procul abesse curanto.

6. *Pro felici muneram successu* DEUM devotè precantor : utq; discipuli operarum matutinarum & pomeridianarum exordium ac finem modulamine sacro, ardentibus precibus, & attentâ capitis biblici prælectione, constituent, animum advertunto.

7. Diebus Dominicis & festis tam manè quam à meridie sacra frequentanto, ac *postridie concionum dispositiones & notatu digniora*, à discipulis reposcunto : atq; ut eadem, libellis peculiari- bus, in majoris diligentiae documentum, Domini Scholarchis in Examine exhibendis inferant, seriò eos monento.

8. *In obeundo manere* assiduos, & sepositâ morositate discipulis comes atq; affabiles, sed cum ingenio, se exhibento.

9. Lentiore indulgentiâ ne disciplinæ frena laxanto, neve familiaritate nimiâ se cõtempribiles reddunto : neve etiam disciplinâ ad sæviti- tiam usq; abutuntor : à deoq; à commonefaciendo ad plagas lenti semper, & cum præmeditatione, nec citra necessitatem, transeunto. Nihilominus tamen delinquentes pro merito paternè castiganto : gradibus etiam severio-

rum

ERFFURT. EVANGELICI.

rum animadversionum erga pervicaces & refractarios ritè observatis.

10. Gravitate, veræ humanitatis sale conditâ, amorem pariter ac timorem ingenuum in animis discentium sibi concilianto.

11. Ut *morum* compositorum ac probatorum lepore profectus eorum literarii exornentur, inter præcipuas informatorii muneris partes referunto.

12. Quibus docendi provincia incumbit, circa horæ in id destinatæ principium, non inter illam ac aliam, qui apud alumnos ingens lasciviæ est fomes, & quæ non ferenda amplius remora prælectionum, adsunto.

13. Si secus quis fecerit, primò à solo Rectore: si iterum, ab ipso & aliquot, vel omnibus Magistris, officii sui summo studio admoneror: Si porrò secò, Rectoris fidei ac conscientia commissum esto, ut apud Scholarchas, de obstinatione illa, citra moram referat: qui obviam malo ire, & si casus ita exigat, ipsam quoq; amplissimi ac prudentissimi Senatus vindictam urgere non superfedebunt.

14. In auditorio interim silentium & attentionem procuranto, ipsimet otiosè ne deambulant, neve discipulis adsurgendi, discurrendi, garrindi, alienaq; tractandi, facultatem danto.



LL. GYMNASII

15. *Lectio*rum *introduc*tarum *ordinem* per *ca-*
villa *fugill*antia *neutiq*uam *intlect*unt, *sed e-*
undem *in* *Calendario* *typico* *præscriptum* *in-*
stanter *urgento*.
16. *Pensum* *demensum*, *semestri* *spacio* *absol-*
vunt.
17. *Abfuturi*, *etiam* *per* *horulam* *saltem*, *ex* *justâ*
causâ, *operas* *suas* *maturè* *uni* *è* *Collegis* *com-*
mittunt.
18. *Rector* *tali* *in* *casu* *vices* *suas* *Conrectori* *ma-*
xime *delegato*.
19. *Salutem* *discentium* *pro* *suprema* *lege*, *ha-*
bento.
20. *Ad* *domesticas* *eos* *operas* *à* *publicis* *vix*
ullibi *abstrahunt*.
21. *Superciliosam* *ingeniorum* *ostentationem*,
*famæq*ue *aucupium*, *tanquam* *muneri* *apprimè*
noxium, *studiosè* *fugitant*.
22. *Dissidiis*, *litibus*, *&* *jurgiis* *procul* *fugatis*, *pa-*
ci *&* *concordiæ* *mutuæ* *student*.
23. *Ab* *obtrectionibus*, *simulatibus*, *dicteriis* *&*
contumeliis, *etiam* *atq*ue *etiam* *abstinent*.
24. *Quibus* *conclavia* *Gymnasilii* *concredita* *sunt*,
justam *eorum*, *ne* *quid* *detrimenti* *capiant*,
curam *habento*.

Titulus

ERFFURT. EVANGELICI.

Titulus II.

De officio Rectoris singulatim.

I.

Rector legum custos, vindexq; acerrimus esto, Collegarum operas quotidie inspice, easq; ubi opus fuerit, graviter urge: ac si admonitionibus parum profecerit, defectum Visitatoribus mature indicato.

2. Talem semper se gerito, ut & apud Collegas atq; discipulos honor reverentiaq;, & in exequendo munere auctoritas inviolata, consistat.

3. Methodi Didacticae transgressores amice ac graviter corrigo.

4. Ex suo ingenio nil innovato: si quicquam Gymnasio magis commodum videbitur, tempestive per illos Dominis superioribus sancientibus significato, & ab iis responsum expectato.

5. Controversiarum inter Collegas obortarum cognitionem & definitionem ad eosdem remitto.

6. E parochialibus hujus loci non, nisi ordinaria Inspectorum censura, legitime dimissos; e peregrinis vero, testimoniis fide dignis instructos, & accuratae praevii examinis & scripti probatione idoneos repertos, recipito, ac quem merentur in classibus Gymnasii locum bona

LL. GYMNASII

fide assignato: cæteris vel ad scholam parochi-
alem, vel unde venerint, migrare iussis.

7. Receptos, prælecto de officio discipulorum ti-
tulo, & exemplari legum tradito, ad earundem
observationem, ritè obstringito.

8. Neminem absq; decreto Visitatorum Gy-
mnasio eijcito.

9. *Catalogos*, quo quisq; tempore receptus,
quoties absens, & quando vel legitimè ad lecti-
ones Academicas promotus, vel, etiam ante
ejusmodi promotionem, in numero Gymna-
siacorum & qualiter esse desierit, continuâ &
interruptâ serie pertextito.

Titulus III.

De Officio reliquorum Professorum.

I.

DE auctoritate Collegarum in communis officii
splendorem roboranda, omnes candidè ac sol-
licitè cogitanto.

2. *Conrector* ex necessario impedimento absen-
tis Rectoris vices gerito, idemq; ei tum honos,
eademq; observantia debetor.

3. Rectoris, vel vicem ejus gerentis *Conrecto-*
ris, necessarias admonitiones reliqui *Collega*
æquis animis placidè admittunto.

4. Pertinaciam & singularitatis studium fugi-
unto.

5. *Publicæ*

ERFFURT. EVANGELICI.

5. Publicæ institutionis legibus adversantem privatim ne informant.
6. Sermone Latino eleganti tam ad se invicem, quàm ad Discipulos, in Gymnasio utuntur.

Titulus IV.

De Officio Discipulorum.

I.

OMnes discipuli in Gymnasium recipiendi nomina sua apud Rectorem profitentur, professi in album inscribuntur, stipulatâq; manu, se legibus parituros, promittunt.

2. Recepti pro inscriptionis & oblatis exemplaris nomothetici *premio* Rectori, nisi res angusta domi obstiterit, aliquid liberaliter pendunt.

3. DEUM, ut studiorum cursum benignè juvet ac promoveat, devotis precibus quotidie invocant.

4. Mentem pietate imbuentes, salvificam Evangelicæ religionis cognitionem ex assidua *sacri codicis & compendii* Theologici lectione, ac ruminacione comparant: eandemq; crebro & attento verbi divini *auditu & meditatione* indies augere, summâ ope nituntur.

5. Omnes vitæ actiones exercitio pietatis exornare satagunt.

LL. GYMNASII

6. A blasphemis, jurandi levitate, religionis & superiorum contemptu, rixis, vindictâ, scurrili & impudico sermone, commestationibus, nocturnis discursionibus, ludis, jocisvè illiberalibus, traductionibus, calumniis, mendaciisq; penitissimè abstineto: Et è contrario modestiæ, gravisq; & liberalis educationis exemplum præ se ferunto.
7. Præcipua Ecclesiastica & politica munera gerentibus, gravibusq; viris aliis, & honestis matronis, debitam præstanto reverentiam.
8. Rectoris Magistrorumq; monita, præcepta, Exempla, ad pietatem, sinceriores mores, cultumq; eruditionis ducentia, planè sacrosancta habento: Id animis suis penitissimè insculpentes: auctoritatem eorum non, nisi Summo scholasticarum rerum Moderatore spreto, ac nihili facto, insuper posse haberi.
9. Proinde *Præceptoribus* amorem & timorem filialem exhibento, eorundemq; institutioni setotos committunto.
10. Rectorem Magistrosq;, ut tantò minus sint rigorosi, gnaviter partibus suis fungendo, demerentor.
11. Gymnasio fixè adhærentes, corpore ac mente, juxtâ Catalogi seriem, docentibus adsidento, & singulari alacritate attendunto. Ad Philo-

logiam

ERFFURT. EVANGELICI.

logiam locupletandam facientia, in Diaria sua congerunto : eumq; in finem cum Instrumentis scholasticis, & Locis Digestis, parati adsunto.

12. Quolibet die profesto (tempore pomeridiano Mercurii & Saturni excepto) horarum seminarium impendunto : ac ante septimam & primam in auditoriis certatim comparento : ut ita studia sua conjunctis exordiantur precibus : sub poena genuflexionis, vel virgarum.

13. Sine justa causa, de qua tamen Rectori constare debet, ne quidem unâ vel alterâ horâ abesse ipsis licitum esto : sub eadem poena.

14. Inter docendum oppositâ invicem facie ne sedento : sed quilibet auditorium ingressus locum assignatum occupato, &, nisi præceptor, alumnos in gyrum provocet, ab omni discurrendi vitio abstineto.

15. *Calendarium* studiorum horarium indies sollicitè introsipientes, discenda, vel componenda, domesticâ curâ fideliter memoriae vel scripturæ mandanto.

16. Falsò sibi persuasæ eruditionis titillatione, spevé liberioris in Academia vitæ, seducti, in tempestivè Gymnasio valedicere ne præsumunto : sed legitimam honestamq; dimissionem alacriori studio ipsimet promovento.

17. Hone-

LL. GYMNASII

17. *Honoraria* tempore promotionis ad Academiam, nec non sub revolutionibus novi cuiusq; anni, pro modo facultatum, Professoribus Gymnasii vel conjunctim, vel seorsim singulis, in Classe, cujus alumni sunt, docenti- bus, grata mente & manu liberali offerunto.

Titulus V.

De Signis Germanismi.

I.

Discipuli non minus, ac Professores ipsi, sermone Latino, quoad ejus fieri potest, puro elegantiq;, tam ad Professores, quam ad se invicem, cum aliis, tum potissimum in Gymnasio, utuntur.

2. Quod ut in Gymnasio eò sanctius servetur: singulis singularum Classium Ordinibus signum quoddam Germanismi constituitur. Insuper cuivis Classi Coryceò datò.

3. Signum hocce qui acceperit, secumq; dimissa à meridie scholà abspertaverit: postea, quod ipsi, sive ex Auctore aliquo, sive præceptis, sive aliunde, vel Rector ipse, vel qui ejus vice fungitur, censendum eo die proposuerit, in sequente id, utriusq; jussu memoriter, quod perfectissime quidem ante teneat, recitato.

4. Si quis obedientem dicto se non præbuerit:

concessio

ERFFURT. EVANGELICI.

concesso præsertim ulteriori ad discendū spacio:
vel virgarum verberibus publicè castigator; vel
in carcerem, prout videbitur, coniectus, in or-
dinem redigitor.

5. Si quis deprehensus & convictus Germanicè
loquens signum acceptare noluerit, vel abjece-
rit: aut Coryceo, vel huic, qui signum ipsi detu-
lit, plagis, contumeliis, vel alio modo, ad-
vertari ausus fuerit: virgis aut carcere poenas
luito.

6. Quod si quis eò vel contumaciæ vel petulan-
tiæ progrediatur, ut nec hisce poenis corrigi
possit: Is nomine in atratum catalogum
relato, secundum l. 24. tit. 14. tandem consortio
Gymnasiaco solemnè ignominiâ excluditor:
nec facilè ad functiones publicas tam Ecclesia-
sticas, quàm Politicas, promovetur.

7. Corycei, vernaculâ linguâ garrientes, vel
contemptim aut minùs honorificè de statutis
hisce loquentes, secretò annotanto: eorumq;
nomina, dictoriaq; ad Professores deferunto.

8. Delati hoc modo, pro dictorum, & facto-
rum qualitate, extra ordinem acriter puni-
untor.

9. Qui signo maculam, damnumve intulerit,
vel illud planè perdiderit: sumtibus suis resti-

tuito,

LL. GYMNASII

tuito, & pro ratione delicti & circumstantiarum itidem extra ordinem plectitor.

Titulus VI.

De Generalibus docendi Institutis.

I.

Magistri unicè tum artium systematis, tum Progymnasmatis, vel Syntheticis, vel per classicos scriptores Analyticis, prout typo horario inserta prostant, insistunt.

2. *Repetitiones* instituturi, auditores, lectionum rationem continuo orationis cursu reddituros, prodire jubent.

3. *Memoria periculum facturos* nullatenus suggestionibus præeunto: hæsitantium aut musitantium defectus ab aliis suppleri, sollicitè curant.

4. *Subsidiarias, mutuasq; recitantium infusions* severè inhibent.

5. *Etiam atq; etiam provident*, ne memoriter recitanda, & maximè artium præcepta, libellus suppositivus, aut charta palliata, dolosè suggerat.

6. *Recitantium linguam blæsam, balbutientem, præcipitantem, eadem bis, ter' ve reiterantem, obscuro murmure suppressam, extrema vocum deglutientem, stridoribus, screatibus,*

tussiq

ERFFURT. EVANGELICI.

tusq; simulatis assuetam, medelâ judiciosâ corrigunto.

7. *In recitatione*, per decentes respirationes, commata, cola, puncta: per concinnam autem sonorum modulationem, parentheses ac interrogationes, appositè exprimuntor, verbis nuspiam trajectis aut innovatis.

Titulus VII.

*De Lingvarum, Artium & Classicorum
Auctorum explanatione
ingenere.*

1.

Artium Instrumentalium seu dicendi commentationes ita aggrediuntor, ut sine ullis prolixis præfationib9, aut discursibus, multò min9 dictatis, theorematum succincta *expositione*, juxta ac illustrium *exemplorum* appositione, SENSUS familiarissimus; Crebriori autem eorundem exercitatione, (modò in Synthesi, modò in Analyfi, modò extemporaneâ, modò præmeditatâ) US US promptissimus illucescat.

2. Exorsuri *novam lectionem* tantum, quantum proximo unius horæ intervallo enucleatum, propositumq; discipuli meminerint, antè recitari reposcunto.

3. Quanti-

LL. GYMNASII

3. Quantitas ergò inprimendorum memoriæ conveniens discentium captui esto.
4. *Interpretes Oratorum ac Poëtarum Analytici*, paragraphò textûs præsentis prolatò, auctoris intentionem rotundâ brevitate notificanto : paraphrasin Germanicam ita adornantes, ut discentibus primùm singularum dictionum vis propria, tum conjunctarum sensus, elegantiori formulâ loqvendi Germanicâ, significetur.
5. Confectam *Expositionem* quidam ex auditoribus reiteranto, vocum Latinarum serie ita subordinatâ, ut constructionis Syntacticæ artificium, unâ ac eâdem operâ, tacitè elucescat.
6. *A primariis & secundariis*, in Græcorum ac Latinorum operibus, præmittuntor analyses Logica ac Rhetorica.
7. Post iidem, Tertiani inprimis, *Syntacticam*, attentanto resolutionem, itemq; *Etymologicam*, factâ difficiliorum vocum, per species ac affectiones, diductione exquisitâ & accuratâ.
8. Auctorum inde *phrases* insigniores, *similitudines & sententiæ* illustriores, pro augenda oratoria supellectile, excerpuntor : & *Locis Digestis*, *Phraseologiâ* & *Florilegio* ab Alumnis annotantor.
9. Pro *synthesi Grammatica* cum Latinâ, tum

Græcâ,

ERFFURT. EVANGELICI.

Græcâ, provehendâ, mutatis mutandis, ex præ-
senti contextu, periodi vel Germanicæ, vel La-
tinæ, vel Græcæ, concisim discipulis proponun-
tor, in Latinas, Græcas, vel Germanicas,
extemporaneâ ac astrictâ paraphrasi, transpo-
nendæ sententias,

Titulus VIII.

De Exercitiis Styli in genere.

I.

Discipuli omnia & singula Exercitia styli præ-
concepta (quæ ordinaria vocant, & maturo
tempore, cum Præceptorum diligenti manu-
ductione, demandari debent) sine cunctatio-
ne elaboranto, & stato tempore revidenda ac
emendanda porrigunto: Post emendationem
verò, ceu in Collegio Gelliano, inter sese con-
ferunto; ut inde stylus, quoad copiam & ele-
gentiam, melior reddatur.

2. *Classis tertia* vicibus alternantibus occupata
esto in *Metaphrasibus Prosaicis* vel Latino-
Germanicis, vel Germanico-Latinis: *secunda*
etiam & *prima* in Latino-græcis: singulis vel
extemporaneis, vel præconceptis, prout sche-
matismi horarii ordo tulerit.

3. Quorum Exercitiorum, & imprimis ordina-
riorum, emendatio non in Gymnasio publicè:

B

quod

LL. GYMNASII

quod vulgò fieri solet hoc cum incommodo, ut, si unius exercitium corrigatur, reliqui interim ociosi & tædiosi sedeant; sed domi privatim priùs concepta, post in Gymnasio sic perficitur: ut singulorum vitia jam antè per asteriscos animadversa publicè indicentur, emendationis & tersius reddendi ratione adjunctâ. Quæ res hoc usu constabit, ut qui in vitium delapsus est, pudore suffusus ab eo sibi posthac diligentius prospiciat, & reliqui ex periculis alienis cautiores fiant.

4. *Generatim* autem *styli* tersioris virtutes publicè commendanto: vitia moderatâ severitate perstringunto ac emendanto.

5. Malè concatenata rudera, errorumq; fontes, auctoribus coram adscitis monstranto.

6. Commodas phrasas ne temerè respuunto, sed toleranto, oblatis inîmulus elegantioribus & magis emphaticis.

7. *Speciatim* sphalmata, in Orthographiam, in rationem punctandi, in leges numeri oratorii, aut in normas Etymologicas vel Syntacticas, impingentia, exquisitâ curâ suis exhiberanto: factâ adhortatione ad cautiorem circumspeditionem porrò adhibendam.

8. *Quoad Poëticam ac metricam genesis*, Tertiani ordinis inferioris versus sententiosos distur-

batos

ERFFURT. EVANGELICI.

batos in ordinem cogunto : superiores, ut & *Secundani ac Primani*, è materia peculiarime-
tra Epica, Elegiaca ac Lyrica usitata, extru-
untò.

9. *Modus correctionis* idem, qui in prosa cen-
senda modo descriptus fuit, observator.

Titulus IX.

*De specialibus quibusdam Docendi & Scri-
bendi Institutis.*

I.

Compendium Theologicum hic excusum ita tra-
ctator : ut Tertiani post præviam duntaxat
ejusdem explicationem : Secundani ac Prima-
ni verò, præmonstratam Locorum singulorum
œconomiam, ac analysin per Definitiones &
Distributiones Logicam : illud, definitis in Ca-
lendario studiorum horis, memoriter reddant.
Erutis postmodum argumentis, è quibus De-
finitiones constructæ : reductis etiam, si quæ
occurrunt, Distributionibus, ad certas Distri-
butionum species.

2. Majoris usus Logici, ac solidioris doctrinæ
ergò, è Locis præsentibus, Themata simplicia,
v. gr. Scriptura Sacra, DEUS, Christus, Coena
Dominica, Ecclesia, &c. excerpuntor : ostia-
timq; per universos Inventionis Logicæ Locos
deducuntor.

LL. GYMNASII

3. *Admonitiones Ecclesiasticae*, ad uberiorem articuloꝝ, quos tractant, fidei intellectum comparandum, stas in typo horis, in Græcam & Latinam, pro classium diversitate, transponuntor.
4. *Repetitio Grammaticæ Latine*, ejusq; non tantum in Etymologia & Syntaxi; sed etiam in Profodia, & quæ à plerisq; hodie negligitur Orthographia, sedulo omnib; in Classib; urgetor: & ita quidem, ut quovis anno semel absolvatur: & in Tertia insuper, pro praxi syntaxeos feliciter provehendâ, ad hanc vel illam Regulam, hoc vel illud Germanicè sibi suppeditatum, Alumni Latinè reddere teneantur.
5. *Rhetorica illis* sic instillator: ut à Magistris præcepta D. Cunradi Theodorici variis exemplis illustrentur: & ab alumnis ex intervallo memoriter reddantur.
6. In *studio Logico* promovendo, post præviam explicationem sufficientem, præcepta D. Cunradi Theodorici Catholica, eaq; in primis Definitiones & Distributiones, cum Canonibus & Elenchis, pro diverso classium captu, memoriter recitantor: variq; usu, per Genesin & Analysin practicè exercentor.
7. In *Disputatoria* palæstra Themata VII. Saturni sub disquisitionis incudem revocanda,

ipsa

ERFFURT. EVANGELICI.

ipsa systematis Logici sunt præcepta Catholica, Canonica, Elenctica, cum singulorum exemplis ac commentariis.

8. Materia dissertabilis pro titulorum generalium successiva varietate, in distinctas, at homogeneas sectiones seu fragmenta dirimitur.
9. Facta, cæteris paribus, coitione primâ, *Opponens* memoriter ac syllogistice argumenta profertur.
10. *Respondens* prolatum Syllogismum, strictè servatis eodem verborum tenore ac partium serie, reassumitur.
11. Assumptum, instituto *examine formali*, si probæ fuerit monetæ, ad speciem vel figuram modamq; Syllogisticum nominatim reducitur: si adulterinæ, per consequentiæ negationem, ostenso formæ vitio, *Antagonistæ* refingendum remittitur.
12. Quod si forma sibi constiterit, annexo *materiali examine*, erroris sedem pertrahitur: quo protracto ac nominato, certus solutionis modus appenditur, vel ad *Quæstionem*, si *Thematis*, vel ad præmissas, si *Argumentosus* fuerit *Elenchus*.
13. Ubi pendente lite res in *probationis* terminum incidit, ut *Opponens* ad prosyllogisti-

LL. GYMNASII

cam intentionis suæ demonstrationem fuerit adactus, omnia memoriali ac Syllogistico itidem peraguntur artificio, Respondente prædicto examinis processui incumbente.

14. Si alicubi sive ab Opponente, sive Respondente aberratum fuerit, *id Præses* maturè corrigito, tandem nervosè ac succinctè utriusq; litteram definiens,

15. Præter Ordinarias hasce Exercitationes ac Disputationes Logicas, alternis vicibus nunc fragmenta s. tractatus Logici, v. g. Doctrina de Themate, Argumento, Axiomate, Syllogismo, Methodo &c. ad augendam rem literariam, inter Exercitatos distribuuntur: quos, suo pro captu, ad Præceptoris manuductionem, ceu Professores, è Cathedra nunc notando pertractent, nunc problemata jucunda, scituq; necessaria, *ἀνω καὶ κάτω* disputando decidant: nunc etiam singulis de materiis Logicis, pro cujusvis arbitratu, è condiscipulis percontentur.

16. *Lingva Sancta*, quæ Theologiæ Studiosis conducit, studium, hoc modò informator: ut, ex Dn. Schiccardi Horologio Infimæ Classis Alumni, rationem Hebraicè pingendi, expediteq; legendi & declinandi: Mediæ verò & supremæ, vertendi, Grammaticè resolvendi, Ra-

dicesq;

ERFFURT. EVANGELICI.

dicesq; investigandi: imò etiam insigniora S. S. scripturæ Dicta, quæ Dn. Schiccardus suis inclusit Eclogis, post omnes minutias Grammaticas excussas, per accidentia Grammatica variandi addiscant. Et, quoad ejus fieri potest, ad imitationes textuum explicatorum formandas, advefiant.

17. *Græcæ*, quæ omnibus utilis est, *lingvæ*, talis habetor ratio: ut ex præceptis Theophili Gollii Grammaticis à latinis discordantibus, memoriæq; fideliter mandatis, ingenia Discentium textus Novi Testamenti, & imprimis Evangelium D. Lucæ, ac Paulinarum Epistolarum vertendo, Etymologicè & Syntacticè resolvendo, ac imitando exerceantur. Evangelia itidem Pessellii Metrica imitatione versentur: & in materia quæpiam solerter efficta, exprimantur. Quod priusquam tenterur, in reductione versuum disturbatorum juniores & minus exercitati periculum facient.

18. *Lingvæ Latine*, quæ omnibus est necessaria, studium circa optimos Latinitatis auctores versator: qui hîc definiuntur Cicero in Epistolis, Orationibus & Officiis: item Sallustius & Valer. Maximus: Ex Poëtis verò Dramaticis Terentius, Epicis Virgilius, Elegiacis Ovidius de Ponto, & Lyricis Horatius: Quibus loco

LL. GYMNASII

19.) Vocabularii optimæ notæ ad iugendū Comenii.
 Omnes hi Auctores ita enarrantor & resol-
 vuntor : ut ex eorum operibus enucleetur arti-
 ficium primū in *Grammaticis*, per Nomen-
 elaturas Etymologicas, & Syntacticas phraseo-
 logias : adjunctis, pro occasione, prosodiacis &
 orthographicis observationibus. Deinde in
Rhetoricis per Tropos & Figuras : Post in *Logi-*
cis, per Topicas & Criticas argumentorum &
 argumentationum energieas : Deniq; in *Orato-*
rio & *poëtico* exercitio, per Inventionis & Dis-
 positionis methodum.

20. His ita præmissis Magistri cum Discipulis
 ingrediuntor etiam *Pædia* campum : ex
 cerptis obiter Ethicis, Physicis, Mathema-
 ticis, Historicis, Politicis, prout in Au-
 ctoribus occurrunt, notis insignioribus : ad-
 junctis Definitionum & Divisionum exercitiis.
 Exempli gratiâ : si occurrat nomen Hostis, A-
 mici, Militis, Civitatis, Urbis, Orbis, Populi,
 Plebis, Metris, Doli, Elementorum, Diei, Tempe-
 ramenti, Cœli, Terræ, Maris, Servi, Uxoris &c.
 quæritor ex Discipulis : Qvis propriè sit hostis ?
 quomodo differat ab inimico : Ecquid hosti ser-
 vanda fides ? Qvis propriè miles ? Quomodo dif-
 ferat à prædone, Latrone ? Quid amicitia, justitia,
 Fortitudo, Temperantia, Prudentia ? Et quo-

modo

ERFFURT. EVANGELICI.

modo hæc differat à sapientia &c. Quid Civitas? Ex quibus partibus constet? quomodo differat ab urbe? Quid metropolis, Diocesis, Municipium, pagus, vicus, &c. Quid populus, quæ partes, quid plebs, Tribunus? Quid dolus? Ecquid aliquis bonus? Quid affectus, amor, odium, ira, spes, metus? Ecquid juramentum militi datum sit servandum? quid si latroni, prædoni &c. Quid Elementum: quot species illius? Ecquid ignis Elementum? quot species temperamenti? Ecquid coelum sit aliquod empyreum. Quot partes terræ? quid mare? quomodo differat à flumine: flumen à rivo? Quid servus, quid libertus? ecquid servitus Christianæ religioni adversa? ecquid ex usu Reipublicæ sublata? Quid Uxor? quomodo differat à Concubina? ecquid Concubinatus jure divino prohibitus? Quis adagiorum ex hoc vel illo verbo depromptorum usus. &c. Quæ tamen omnia ore tenus, & breviter, sine ullis ad calammum dictatis, expediuntur.

21. *Genesis a. Latina* consistito junioribus in Historiis, fortè Relationibus Novellis, & aliis Commentis, è Germanica lingua in Latinam transferendis: Provectoribus verò in Epistolis, Orationibus & Carminibus, circa materias utiles, conscribendis.

LL. GYMNASII

22. Ut a. Alumni tantò uberiorem Latinitatis tinctum capiant : Genesis ista non solum in elaboratione libera, sed etiam adstricta, imitatione sc. consistito : eaq; vel Extemporanea partiatim, per paragraphos subinde alios, atq; alios (tum sc. qn. Auctores Classibus publicè enarrantur) : vel totaliter, per elaborationes præmeditatè conceptas, formatasq; : sive sint Narrationes, sive Epistolæ, sive Orationes & Carmina.
23. *Studium Oratorium* ductum sequitur institutionum D. Cunradi Dieterici, de partibus Orationis Rhetoricæ, ac Causarum Generibus, conscriptarum : quæ memoriter recitantur : observatis Materiarum Classibus, de quibus : Argumentorum Locis, ex quibus : & Affectibus, propter quos concitandos, dicendum est.
24. Ornamenta & Amplificationes locantur tum in REBUS : illustribus sc. Antithesibus, Syncrisibus, Gnomis ac Testimoniis, nunc solitariis, nunc conglobatis : singulis vel fusè, pro diverso dicendi genere, vel strictim expressis : tum IN VERBIS : Tropis sc. & Schematibus, pariterq; Epithetorum incrementis : quibus tamen non ut esculentis, sed ut condimentis, utendum.

25. *Quam*

ERFFURT. EVANGELICI.

25. Quamprimùm Tyro Oratoriis præceptis animum circumfert imbutum: festino pede Gymnasia ingreditur, Progymnasmata Oratoria meditaturus: ita tamen, ut Analysis Orationis unius, & item alterius, accuratissima præmittatur: selectis huic negotio Orationibus, præceptorum usui ad oculos monstrando, confirmandoq; commodissimis.
26. Hinc imitationis ergò succedit Dispositio Oratoria, ad elaborationem tam luculenter adornata: ut futuræ Orationis primas statim exhibeat Progymnasticis Oratoriis lineas.
27. Dispositiones isthæ, juxta Causarum genera, sic ordinantur: ut singulis semeltribus, è genere Demonstrativo tres Panegyristæ: è Deliberativo tres Consiliarii: & è Judiciali tres judices, Oratoria specimina edantur.
28. Ut tyronum conatus primi leniter ducantur: singulis Orationibus elaborandis tres integræ tribuuntur septimanæ: quarum priori Exordium, cum Propositione: media Tractatio: postremâ Epilogus elaboretur.
29. Materiam futuri operis exceptam spacio octidui oratorio conformantur artificio: devitatis digressionibus heterogeneis, strictissimè intra dispositionis limites sese cohibentes.

30. Judi-

LL. GYMNASII

30. Judicii Oratorii prodendi ergò, tum membra Oratoria, tum argumentorum, species, marginalibus locellis competenter reponunto.
31. Singulis Mercurii diebus, materias elaboratas emendationi exhibento: Orationem autem revisam ac emaculatiùs restitutam, memorialis, & ea quidem fixa, insequitor impressio.
32. Inde Oratores designati theatriæ sese pro virili accingunto Actioni: oratione stato die, quem typus refert, è cathedra ad præsentem Concionem memoriter recitandâ.
33. Conscensâ Cathedrâ vocem æq; atq; gestum omnem ad artis normam componunto: facto Censoribus declaratis probando.
34. Actionibus hisce Oratoriis quovis anno semel additor actio scenica.
35. *Philologia Ligata Latina* talis esto: ut post resolutionem Auctorum Logicam, Rhetoricam, Grammaticam & Poëticam, sententiæ graviores excerpantur, & ab Alumnis memoriæ infigantur: Junctio exercitiò vel imitandi ordinario aut extemporaneo, vel etiam Elegiacum Ovidianum in alia Carminum genera vicina, videlicet Phalevciùm, Sapphicum, Jambicum &c. convertendi.

36. Poëtica

ERFFURT. EVANGELICI.

36. Poëtica verò Analysis hoc instituitur modo :
ut in quovis metro principia, affectiones &
species : In poëmate verò observetur Inven-
tionis, Dispositionis & Exornationis artifi-
cium.
37. Imitationis exercitium apud provectiores
sequatur propria Carminis effictio s. Genesis
libera, in materia brevi, & habitu ad metrum
facili indutâ. Inferioribus vel selectas quas-
dam Poëtarum sententias, dictionibus non
sine sensu perturbatis in ordinem cogentibus ;
vel diversa metrorum genera, idq; aliquid
addendo, aut abjiciendo, inter sese permu-
tantibus.
38. Summæ autem Alumnis curæ esto : ut ver-
sus perpetuis & decoris contexant Cæsuris :
ab Elisionibus crebrioribus in eodem versu,
quin & durioribus, nisi decorum hoc flagitet,
sibi temperent : Nervosa epitheta substanti-
vis jungant : eadem tamen in versu semper,
si fieri possit, substantivis præmittant, vo-
cabulo uno & item altero interjecto : epi-
theta absq; conjunctione plura non cumu-
lent : à confusione phrasum Oratoriarum
cum poëticis abstineant.

39. *Spherica*

LL. GYMNASII

39. *Spherica doctrina* à M. Sebastiano Schrö-
tero in epitomen contracta primùm explica-
tor : post ejusdem usus in sphaera Armillari,
& utroq; Globo oculariter demonstrator,
vicissimq; à discipulorum memoria exigitur.
40. *Arithmeticus* calculus, Computusq; per
qvinq; species ac Regulam de Tri, ut vocant,
sedulò urgetor.

Titulus X.

De exercitio Certaminum hebdo- madario.

I.

C*ertaminum* duellis *tertia Veneris* præfinita
esto : illis quidem per lectiones hebdomada-
rio spacio absolutas suscipiendis universas, nisi
temporis angustia diversum svadeat.

2. Ordinibus classium *primæ & secundæ* superio-
ribus præsideto Rector ac Conrector ; earun-
dem inferioribus tertius & quartus : Tertiæ
quintus & sextus, ubivis vicissitudinariâ ver-
sante reciprocatione aut permutatione.

3. *Ultimis*, per singularum Classium ordines
singulos, quemcumq; sui ordinis, quacunq;
libuerit lectionum hebdomadariarum hastâ
vel telo, primum provocandi ac decertandi

ERFFURT. EVANGELICI.

jus tributum esto : quibus *penultimi, antepenultimi* cum reliquis in linea recta ascendentibus, usq; ad primos, sunt succenturiati.

4. Nec victor nec victus in lectione, cujus semel duellum sustinuit, porro tentator.
5. Concertantes proprio depugnantio Marte, & omnibus simpliciter suggestionum aut infurrationum praesidiis excluduntor.
6. *Judices* ab omni prosopolepsiae affectu, aut alio praesudicio immunes, ubi aequali utrinq; Marte certatum fuerit, provocatis pristinas sedes fartas tectas vindicantor.
7. Contra provocato palaestrae declinatoriam arripiente, vel eventu sinistro succumbente, victori promptè jus administrantor, victiq; excussi sessionem addicuntor, hoc ad inferiorem Antagonistae locum rejecto.
8. Liberum tamen huic esto, sententiae vim paulisper hac ratione sistere, ut victorem continuo & durante velitationis fervore, in quacumq; alia lectione, non tamen pluribus, de novo in palaestram provocet.
9. Quod si victoriae favor ei refulserit, locum modò amissum recuperato : Sin minus, res judicata vires habebit, salvumq; erit victo, recuperandi prioris loci remedium,

ratione

LL. GYMNASII

ratione *scripti extemporanei* proximis; post diebus cum victore certatim elaborandi, dummodo litem eidem coram magistro, materiam scripti proponente, mature denunciârit, eoq; censente sphalmata ab ipsismet antagoni-
stis notata fuerint.

10. Absoluto certaminum circulo, vincen-
tum probata virtus per singulas classes non
minus *regedias* honorifica, quam premiolo-
rum ornamentis, excitator.

11. Qui ejusmodi certaminibus non interfunt
(nulla absentiae, præterquam impedimenti
necessarii causa exceptâ,) contribulibus suis
posthabiti, ad imas sedes deportantur. Quod
si absentia iterata & pervicax fuerit, probrosa
cum turpitudine, atrato prætereà immatricu-
lantur catalogo, donec ad frugem meliorem,
locumq; sublimiorem evecti, liberentur.

Titulus XI.

De Exercitiis Musicis.

I.

Magistri, præsertim is, cui peculiariter com-
missum est, debitam operam danto, ut rece-
pta in Gymnasio *Musices* utriusq; vocalis &
instrumentalis *exercitia* ordinaria non modò

illibata

ERFFURT. EVANGELICI.

illibata conserventur, sed etiam subinde splendiora reddantur.

2. *Musica instrumenta*, nisi ad usum sacrum, commodentur, è Gymnasio ne exportantur, utq; sarta tecta maneant, debite asservantur.

3. Promotis ad Gymnasium, parochialibus Musicis, iis nimirum, qui extra coetum stipem colligentium sunt (de quibus infra peculiaris habetur dispositio) severissime injungitur, ut in Parochia, cujus commoda institutionis senserunt, diebus Dominicis & festis, mane atq; à meridie, mature comparentes cantu suo chorum musicum juvare & decorare student, contumaciâ transgressorum extra ordinem vindicatâ.

4. Cantoribus etiam parochiarum pro re natâ aliarum, è Gymnasio Musicam opem implorantibus, ii promtè transmittuntur.

5. Probandæ magis industriæ, majorisq; sibi conciliandi favoris ergò, totum *Symphonicum consortium*, in qualibet parochiarum Evangelicarum, singulis semestribus minimum semel, indicato prius tempestivè Cantori die, Musicam festivitatem ornatiorem reddito.

C

6. *Cura*

LL. GYMNASII

6. *Cura cœtus* cantando in urbe stipem cogentis Ecclesiasticis & Politicis publica auctoritate deputatis commissa esto.
7. Quaternis ille *choris* ita dividitor, ut 1. Excellentium. 2. Pauperum, 3. Proficientium, 4. Incipientium sit, qui pro copiosiori eorundem numero geminus quandoq; constitui poterit.
8. Quo tamen casu unus è quinis qualibet septimana urbanas circuitiones omittito.
9. Chorus quisq; *discipulos quatuordecim*, nempe duodecim Cantores computatis præfecto ejusq; Substituto, & duos Collectores contineto.
10. Quod si coetus Gymnasiacus justum singulorum complementum recusarit: defectus, imprimis Discantistarum, ex Musicis parochialibus resarcitor.
11. *Currentarii* vel alii pauperes è Parochiis ad Gymnasium promoti, & Musices adhuc ignari, per choros quoscunq;, ubicunq; opus fuerit, vices *Collectorum* gerunto.
12. *In actu* tam procedendi quàm canendi chori non minùs civibus, quàm exteris, probandam ostendunto verecundiam.

ERFFURT. EVANGELICI.

13. Levitatem, luxumq; vestium, omneq; aliud, quo concitatâ patronorum offensione, liberalitatis foribus facile pessulus obditur, maxime vitare.
14. Quavis hebdomade, selectas civium fores Musicis Symphoniis bis tantum, salutatio.
15. *Alternatio chororum* ita disponitur, ut suo tempore non modò infimus, sed & supremus in qualibet urbis parte, & diebus Dominicis, (tum videlicet, quando festa non coincidunt) per vices in singulis parochiis audiatur. Diebus autem *festis* quilibet ex quocunq; choro symphonico suæ adesto parochiæ Cantori.
16. *Martinalibus ac Natalitiis* Christi minùs distracti, indeq; multiplicati, sed chori integri & soli, ad inhibendum importunos quovis clamores, urbem, & quidem *interdiu*, peragrato.
17. Metectas non transultoriâ levitate, minime verò memoriter, sed vocibus Musicalibus explicatis, gravi tactus tarditate, sonorunq; moderatâ suavitate modulantor. Choragis singula curiosè annitentibus ac disponentibus.

LL. GYMNASII

18. *Praefectus & Collectores* nomina omnium, qui in choro sunt, conscripta libello habentes, dextrè notatos absentes distributoribus maturè significanto.
19. Porrectam pecuniam mox pixidi includi curanto, eamq; collectam Rectori fideliter adnumeranto.
20. *Hebdomadaria distributiones* instituuntor, ad proportionem Geometricam, quæ in peculiari schematismo distributoribus tradito delineata est.
21. Ad continendos in officio Musicos, praesentissimi remedii loco, adhibetor *subtractio pecuniaria* absentibus diversimodè infligenda.
22. *Absentia* mulctanda, constituitor, quadruplex.
23. I. Doctrinalis, ab operis Gymnasii tum matutinis tum vespertinis : sive ea sit plenaria : sive subductitia ac semiplenaria.
24. II. Mercurialis, ab exercitio musico Mercurii horis pomeridianis, organo, instrumentis & voce adornando.
25. III. Publica à publicis concentibus ostiatim producendis.

26. IV. Sacra

ERFFURT. EVANGELICI.

26. IV. Sacra, à choris templorum matutinis ac vespertinis quocunq; casu, aut die, vel profesto vel dominico, vel solenni alio.
27. Subtractionis inde iterum Geometrica urgetor quantitas, in prædicto schematismo exactè descripta.
28. Acceptæ & distributæ pecuniæ quantitas accuratè consignator : nihil exinde detrahitor, nec alium in usum convertitor : & quolibet trimestri Deputatis, Currentariorum ratiocinia scrutantibus, *tabella acceptorum & expensorum* cum reliquis exponuntor.
29. Iidem, ratione *reliquorum*, de quotis distributoriis imposterum vel augendis, vel minuendis, consultanto.
30. Reliqua tamen, ut & pecuniam multatitiam, non nisi Musicorum chororum subsidio impendunto : distributione proportione, geometricâ, secundum cujusvis pietatis, eruditionis, modestiæ, & paupertatis rationem factâ.
31. Penes eos quoq; jus & arbitrium esto, in prædictos choros *recipiendi*, indeq; *ejiciendi*.
32. Receptionem aut remotionem, nisi moræ periculo aliud svadeatur, saltem *trimestri*, quo rationes audiuntur, instituunto.

LI. GYMNASII

33. In receptione Musicorum parochialium æquilibrium accuratè adhibento, ne una parochia alteri illicitè præferatur.

Titulus XII.

DE FERIIS.

I.

Feris Bacchanalibus ac Nundinalibus, finito item Examine quovis solenni, triduum: Canicularibus autem & Vindemialibus integrum octiduum destinatur.

Titulus XIII.

De Visitatione Gymnasii.

I.

Scholarcha & Inspectores ordinariè intra bimestre spacium semel conjunctim; quoties verò id necessitas efflagitat, & subsisivis nonnunquam à graviorum negotiorum expeditione horulis, vel conjunctim, vel separatim, Gymnasium visitare ne dedignantur.

2. Exorbitaturos tam docentium quàm discipulorum conatus intra legum cancellos strictissimè cohibento.

3. Juxta

ERFFURT. EVANGELICI.

3. Juxta eorundem normam definiendi *emergentia*, pro temporis & causarum ratione, dubia, plenam facultatem habent: remissis ad consultationum generalium libramenta iis, quæ majoris momenti sunt.

Titulus XIV.

De Examinibus.

I.

Profectus discentium, tam literarii, quam morales, annuatim bino examine exactè explorantur.

2. Æstivum circa Maji: Hyemale verò circa Novembris initium adornantur.

3. Quorum mensium alterutro imminente, Rector dies examini commodè tribuendos scrutatur.

4. Octiduum geminum proximè antevertens universali semestriam lectionum repetitione consumitur.

5. Scholarchæ singuli ad examinis actum ritè invitantur.

6. Compares suavi vocum & Musicorum Instrumentorum concentu, ac *μεροφωνήσεται* gratibunda, excipiuntur.

C 4

7. Nullus

LL. GYMNASII

7. Nullus tam doctentium, quàm discipulorum, nisi causa impeditus fonticâ, ulli examinis horulæ se subtrahito.
8. Exemplar legum, cum catalogo discipulorum, & accurato indice, quoties præterito quisq; semestri abfuerit, lectionumq; examinandarum typo, tabulæ, cui Scholarchæ adsident, imponitor.
9. *Examinaturi à sacris ordiuntor.* Et reliquarum lectionum repetitionem eo, qui pro temporis ratione maximè commodus videbitur, ordine peragunto.
10. *Scripta quævisq; Tertianis & Secundanis,* è Germanico sermone in *Latinum* ex tempore vertenda, ita proponuntor, ut quilibet eorum peculiarem elaborandi habeat materiam, adhibitâ tamen, quoad fieri potest, diligentissimâ circumspeditione, falsus ne supponatur ingenii partus, sed ut suæ quisq; eruditionis faciat periculum.
11. Secundanorum primus ordo, & Primanorum uterq; etiam in *Græci* scripti & *Carminum* compositione sudanto.
12. Scriptis accuratè perfectis, commissi errores à Magistris præcise notantor.
13. Disputationis quoq; & Declamationum specimina probè expenduntor.

14. Scho-

ERFFURT. EVANGELICI.

14. Scholarchis Rector cum Magistris suum de promovendis judicium maturè aperunt.
15. Sub finem Examinis, convocatis in unum conclave, omnibus tam docentibus, quàm discipulis, censura discipulorum ita publicator: ut qui præ cæteris probi vel improbi, diligentes vel negligentes fuerint, à se invicem tanquam hirci ab ovibus, in duo agmina segregentur, singulis pro merito vel encomii ornamentum, vel vituperii stigma auferentibus.
16. Digni ex inferioribus ad superiores classium ordines, eiq; supremo ad Academicas auroales promoventur.
17. Promotorum nominibus palàm recitatis, suis cuiq; discipulorum locus denuò assignatur.
18. Quolibet examine æstivo diligentiores, in singulis singularum classium ordinibus, per commendationes, hortationes, & si aurea pax, DEO propitiò, refulserit, distributionem librorum, ad majorem studii alacritatem excitantur.
19. Conscripita *translatorum ad Academiam* nomina Rector convenienti Curia loco exhiberi jubeto, ut eorum, in ulteriori ad

LL. GYMNASII

scholastica, vel alia munera promotione ratio habeatur.

20. Atratus Catalogus, cum indice crebrius abesse solitorum, publicè prælegitor, culpata degenerum socordia.
21. Transfugarum nomina ignominiosè panduntor.
22. Exprobrationem Scholarum meriti, in præsentia commilitonum officii seriò admonentor.
23. Qui gravioris delicti famâ notatus fuerit ejus parentes, vel propinquiores adgnati vocantor, explicatâ facti indignitate, degenerem ad meliorem frugem reducere jussi.
24. Gradus admonitionum & coërcitionum pervicaciter spernentes, tandem consortio Gymnasiaco solenni ignominiâ excludantor.
25. Excluserum, transfugarum, aliorumve malâ pace abeuntium, nomina accurate notantor, ne iis porta promotionis ad publica munera in toto hoc tractu pateat.


A fine

ERFFURT. EVANGELICI.

26. A fine examinis, quem *solennis gratiarum actio* constituit, dimissis prius discipulis, Rector cum Magistris candidè Scholarchis significanto, quid è re Gymnasii ampliùs constituendum videatur.
27. Quibus aut mox illa constituere, aut pro eorum gravitate, indicto alio conventu, generalium consultationum trutinæ appendere, liberum & integrum esto.
28. Tales consultationes eundem cum hisce legibus scopum habentò, ut singula cum Gymnasii incremento in DEI ter Opt. Max. gloriam, & rei tum publicæ, tum privatorum cedant salutem.
29. Finitis cujuslibet examinis feriis, leges isthæ, anteqvam novæ inchoentur lectiones, discipulis cum Præceptoribus in unum conclave convocatis, intelligibili & clarâ voce præleguntor : ita, ut Primani per vices, unam post aliam perlectam, Latino ex tempore, quæ cujusvis legis mens, eo quo sequuntur ordine, exprimant sermone.

FINIS.

TYPUS







**TYPUS SEU
DESCRIPTIO LECTIO-**

num & Exercitiorum, in Gymna-
sio Erffurtensi proponendarum & institu-
endorum, per singulos cujusq; hebdoma-
dis dies & horas.

Diebus


Diebus	Lunæ	Martis	Mercurii.	Jovis	Veneris	Sabbathi.
Clasf.	Ho-	ris	ma-	tu-	ti-	nis.
7.	1. } Præcepta Log. D.C. 2. } Theodorici, additis Canonib; & Elen- chis, respectivè. 3. } Epist. Cic. familiares.	Terentius explicatur. Eadem Epi- stola, quæ die D.	Præcepta Oratoria ex D. C. Theodor. Li- bello c. Oratione Ciceronis. Dicta S. S. Græca.	Propositur Logica eodem quo die Luna modo. Epistola Ciceronis.	1. } Grammat. Græc. Golii, ut supra: vel cum Scri- 2. } pto Græc. Ordinar. 3. } Epistem. Præceptor. Rbe- torica D. C. Theodorici.	1. } Logica. 2. } Disputa- tioe quo visi 4. die substitut 3. } Ead. Off. C.
8.	1. } Grammatica Græ- ca Golii: juncto tex- 2. } tu Nov. T. Græci. 3. } Compendiū Theologi- cum hic excusum.	Nov. Test. Græc. Idem Com- pend. Theol. quod die D.	Proponuntur, exhiben- tur & corrigun- tur Scripta Ordina- ria Latina. Idem fit, hac hora.	Repetitio Gramma- tica Latine. juncto Comenio. Eadē Grammatica Lat. repetitur: juncto Comen.	1. } Admonitio. Ecclesiast. in Græc. idioma ver- 2. } tende. 3. } Officia Ciceronis tra- dantur.	1. } Certat pro loco 2. } in scrip. Lat. ex- 3. } tempor.
9.	1. } Compend. Theolo- gicum hic excu- 2. } sum. 3. } Grammatica Græca Golii.	Valerij Ma- xim. expli- tur. Ead. Gram- mat Græc.	Compēd. Theol ut sup. Propositur materia in Latinum sermo- nem ex tempore ver- tenda.	Epistola Ciceronis. Ovidius de. Ponto explicatur.	1. } 2. } Doctrina Sphærica. 3. } Rhetorica, quæ supra.	1. } Corrigi- tur scri- 2. } ptū illud extēpo- 3. } raneum.
1.	1. } Sallustius explica- 2. } tur. (dor. 3. } Præc. Log. D.C. Theo- sine Canonib; & Elench.	Horologiū, ut supra. Sententia se- lectiores.	FE-	Arithmetica doce- tur.	1. } 2. } Terentius, ut supra. 3. } Repetunt Grammat Latin.	lis FE-
2.	1. } Sallustius continu- 2. } atur. 3. } Præcepta Logica D.C. Theod. continuantur.	Evāg. Græco- metrica Pos- selii tractāt. Admoniti- on. Ecclesiast.	Instituitur & exerce- tur Musica cum Vo- calis, tum Instru- mentalibus.	Præcepta Oratoria, c. Orat. Ciceron. Ovidius d. Ponto.	1. } Valerius, ut supra. 2. } 3. } Disticha gnomica sele- ctiora.	RI-
3.	1. } Horolog. Hebraicū Scheicardi: juncto 2. } textu Heb. ex Eclo- gis sacris ejusdem. 3. } Comenius, loco Voca- bularij recitandus.	Virgilius ex- plicatur. Ratio Hebr. pingendi, le- gendi & de- clinandi.	RIÆ.	Horatius enarratur. Logica, ut supra.	1. } 2. } Certatur pro loco, ex lectionibus quæ heb- domade propositis, se- 3. } cundum normam sta- tutorum.	Æ-





VD 17

MS



Lf 858

ULB Halle

3

006 698 719



Sb.

WMA

